CAROLI

BORRHOMAEI

ILLVSTRISS. ET OPTIMI

CARDINALIS

S. PRAXEDIS.

MEDIOLANENSISQ.

ARCHIEPISCOPI

EPICEDION:

Iano Peluſio Crotoniata authore.

PLACENTIAE. CIↃ IↃ LXXXV.

Permiſſu Superiorum.

Typis Ioannis Bazachij.

FRANCISCO PANIGAROLAE REVERENDO FRATRI Ordinis Obſeruantiæ,

SACRORVMQVE CONCIONATORVM huius Aetatis præſtantiſſimo

Ianus Peluſius Crotoniata. S.P.D.

IN hoc communi dolore Inſubrium, non potui me continere, quin & ipſe magno dolore affectus, immaturum interitum, atq; acerbam vicem Caroli Borrhomæi Illuſtriſſimi et Optimi Cardinalis S. Praxedis, Mediolanenſisq; Archiepiſcopi, bis ſenariolis, et dimetris deflerem. Quos ea propter tibi dicare volui: quia & te dolere ſenſi, & eius laudes copioſiſſima, atq; ornatiſſima oratione es perſecutus. Quando igitur eum adhuc lugere perſeueras, à lugente adhuc etiam compoſitũ carmen accipe: & ſi aut ingenij tui magnitudini: aut illius ſanctitatis meritis non reſpondet: æqui boniq; cõſule: & me tui ſtudioſiſſimum clientem, in tuorum familiarium numerum aſcribe. Vale Placentiæ. Nonis Februarij. CIↃ IↃ LXXXV.

Idem ad eundem.

SAxa mouere ſono potuit Rhodopeius Orpheus,
Flectere & Infernos ad ſua vota Lares.
De cathedra at noſter prono torrentior amne,
Dogmata cum reſerat Panigarola Dei:
Ad Cathedram Superos deſcendere cogit ab alto:
Matres atq; viros ad ſua verba trahit.

CAROLI BORRHOMAEI ILL.mi ET OPTIMI CARDINALIS S. PRAXEDIS.

MEDIOLANENSISQVE Archiepiſcopi Epicedion:

Iano Peluſio Crotoniata authore.

O Lux acerba, acerba lux Inſubribus,
Toti & togatæ Galliæ:
Vatis Sibyllæ dignus annos viuere,
Seniſq; tempus Neſtoris,
Eſt in ſepulchro Carolus reconditus,
Aetatis huius gloria.
Quem non peremit ante peſtis, agmina
Cum ciuium letho daret:
Emiſſa nec glans ferrea de pixide
Vi pulueris Vulcanij:
Mors prô nefas immane? triſtis abſtulit,
Amara miſcens dulcibus.
Inuidia mouit cæca, patraret ſcelus
Nulla expiandum victima.
Nam cum videret pectus eius ſæpius
Sancto repleri numine:

Et fieri ab illo facta magna, illuſtria,
Quæ mens ſtupet mortalium:
Timuit timore maximo, ne ſi dies
Hic prorogaret longius:
In orbe Diuus eſſet: illi & Inſubres
Et templa, & aras ponerent.
Quapropter annis exuens vitam inuida,
Non ſiuit vltra viuere.
Non flexit illam lingua melle dulcior,
Non æquitas, non caſtitas:
Non acta vita ſemper abſq; crimine,
Nulliſq; fœda ſordibus:
Non litteræ, & ſcientiæ, à cunabulis
Quibus vacauit ſtrenue.
Concede nobis Muſa, tanti Præſulis
Proferre poſſe gloriam.
Eiuſq; noſtris verſibus laudes eant
Per orbis omnes angulos.
Rex fluminum diuiſe multa in cornua,
Quacunq; ad æquor perfluis,
Ripam per omnem; toto & anni tempore
Foue roſas, & lilia:
Vrnamq; lambens proximam, virentibus
Incinge lauri frondibus.
Tibi perennes eſt precatus alueos,
Vndas ſalubres incoli:.
Cupijtq; te Danubius vt minor foret,
Altoq; Tigris gurgite:
Septemq; Nilus influens mari oſtijs,
Atq; ipſe Hydaſpes gemmifer.

Lupis

Lupis relictę præda grex rapacibus,
Paſtore tanto mortuo;
Quis te per alta montium cacumina,
Quis prata per tenerrima
Cuſtodiet? quis læta paſtum pabula
Ad riuulos poſthac aget?
Quis te furente Solis æſtu, ad arborum
Compellet vmbras amplius?
Quis ſæuiente vento, te tuebitur
A frigoris violentia?
Hinc te latrones, hinc rapient ſæuæ feræ,
Hinc imbrium lædet furor:
Quin haud minimum tibi imminet periculum,
Ne dum per inuium nemus
Herbas latentes quęritas, te viperę
Morſu nocenti mordeant:
Morſumq; curet poſt medela & pharmaco
Parum peritus artifex.
O qui gubernas aſtra, qui Orcum territas,
Regiſq; terras, & freta
Rerum creator omnium pater Deus,
Tuos miſeratus Inſubres,
Antiſtitem rogamus illis proſpice,
Et quam potes celerrime,
Qui Caroli ſimillimus ſit moribus,
Prudentiaq;, & litteris.
Calcare quam cepere vt ante ſemitam,
Calcent per omne ſeculum.
Hac Inſubres pro gratia grates agent
Tibi vt decet quamplurimas.

Et pro iuuencis, cæteriſq; victimis,
Cor immolabunt proprium:
Tuasq; laudes in ſacris Lararijs
Sicci canent & vuidi.
Concede Chriſte quæ precamur ſupplices:
Iuſta, atq; honeſta poſcimus.
Deo dicatæ virgines grauiſſimos
Queſtus ad aſtra fundite:
Vt eſt in animo, ſic ſit in vultu dolor,
Veniatq; quod latet foras:
Iuuet iuuet dolere, & altum flebili
Ferire cælum carmine.
Amiſſa veſtra (vt ipſæ aperte cernitis)
Fidelis eſt cuſtodia:
Iacetq; patriæ fida ſpes: & vnicum
Solamen vrbis concidit.
Quis viſet ægras? quis iacentes eriget?
Quis in malis ſolabitur?
Quis inſtruet? quis in dubijs rebus dabit
Conſilia recta, & libera?
Lugete pauperes, obijt veſter pater,
Qui vos cibo, pecunia,
Potuq; tecto, veſtibus, ſcientia
Iuuabat omni tempore.
Vrgete Carlum voce ſemper lugubri,
Nulluſq; ſit flendi modus.
Veſtris vt auctus lacrymis, ſe Doridi
Senex Padus commiſceat:
Suoq; fletu moueat omnes æquoris
Nymphas, & ipſum Nerea.

ſuam

Suum Sacerdotes magis quam cæteri
Plorent ademptum Præſulem:
Chriſtum precando cum quibus conſueuerat
Tam ſæpe ſoles condere:
Et agere magni ponderis negotia,
Res ambiguæ cum ſurgerent.
Quid iſta vobis impero ſtultiſsimus
Nil profutura funeri?
Cohibete voces oro lamentabiles,
Quas tempus ipſum poſtulat:
Orate potius, vt Deus perutilem
Antiſtitem det alterum.
Non triſtis Aedon quę varijs ſonis Ithym
Deflet virenti in arbuto:
Nec quæ mariti furta cantat Biſtonis
Ales per ædes ciuium,
Lugere tam chari capitis dignis modis
Lacrymoſa poſſent funera:
Nunc pontus, æther, terrã plantũ perſonent:
Cauis & Echo montibus
Extrema verba non remittat, vt ſolet:
Sed tota reddat clarius.
Qua naſcitur, qua ſe occulit Sol, qua Tethys
Vaſto abluit terram mari:
Peruenit eius nomen: & virtus nitet
In orbe, Solis vt iubar.
Lugete Galli, & quam poteſtis maxime,
Veſtrum dolorem oſtendite:
Spes veſtra Carlus, & Latini nominis
Lux flenda ſemper, occidit.

Laus Preſuli iuſtiſſimo, integerrimo,
Charoq; Diuis omnibus,
Debetur hæc, honosq; : caſtis manibus
Debentur iſthæc munera.
In æde ſacra mane vos & veſperi
Chriſti docebat dogmata :
Callemq; quo venitur ad regnum Dei,
Recto indicabat tramite.
Non ſic Cytherę dediti & Cupidini,
Molles ſolent iuuenculi
Comœdias ſpectare, vel Tragœdias,
Mimos, & omnes fabulas :
Vt conciones ipſe habere in pulpitis,
Haurire eaſdem aut auribus.
A Tranſpadanis vrbibus ſcelera omnia
Fugauit vſq; ad Inferos :
Probos amauit, improbos, & impios
Vitauit angue cautius.
Tam ſæpe, quam ſępiſſime viſus fuit
Et potus, & cibi immemor,
Manere ſupplex ante Chriſti imaginem,
Diesq; noctesq; integras.
Pedes profectus ad Ducem Sabaudię,
Sacram vt videret Syndonem :
Quot pertulit labores? quanta incommoda
Perpeſſus eſt? quot lacrymas
Effudit? vt conſpexit almi linteum
Chriſti notatum ſanguine?
Non hoc fideli Chriſtiano forſitan
Videbitur mirabile.

Quem

Quem non mouerent iſta ſigna vulnerum?
Ac triſte tam ſpectaculum?
O ter mihi quaterq; felix Allobrox,
Quam magna dona poſſides?
Opes Midæ, gazaſq; Crœſi Lydij,
Superas & aurum Perſicum.
Dum linteum ſeruabis iſthoc integrum:
Felix erit Sabaudia.
Nec te laceſſet vllus hoſtis inſolens,
Nec barbarus bello petet.
Defendet vſq; te potenti dextera
Chriſtus redemptor gentium.
Quo Muſa tendis ô, recurre ad lacrymas,
Tuumq; penſum confice.
Quem flemus hic, & quærimus miſerrimi,
Rebus relicti in triſtibus:
Recta petiuit aſtra: Terra Caroli
Non amplius capax erat.
Hic per datorem luminum ſibi licet
Spectare tecta Cælitum:
Atq; intereſſe cantibus, quos Angeli
Fundunt in aula regia.
Sub Alpium iugo haud procul Nouaria
Mons eſt: Varallum dictitant.
Hic ſunt ſacella plurima, & ſimillima
Fanis tuis ſanctiſſimis
Iudæa ſacris dedita, & miraculis
Terris & aſtris cognita;
Noſter ſacerdos Carlus huc ſe contulit,
Vt viſeret ſacra hæc loca:

Dieſq;

Dieſq; totos hic moratus quindecim,
Dum precibus, & votis vacat,
Ac voluit animo cuncta ſecum maximi
Noſtri Dei myſteria:
Secat flagellis corpus, & ieiunijs
Se cruciat, ac famem domat.
Sic tenuis vnde factus eſt macie breui,
Vt oſſibus vix hæreat.
Eſt pro Lyæo lympha: pro dapibus Ceres:
Molliq; pro toro aſſeres.
Somnus breuis, nulluſq;: multa lectio:
Crebra, & frequens oratio:
Cilicio opertus aſpero, triſtiſſimis
Se macerat totum modis.
Et ne famulis faceſſeret negotium,
Quos ipſe ſecum duxerat:
De nocte ſurgens, ſolus ad domos Dei
Ibat, ſibi ferens facem.
O quam iuuabat has, & illas cernere
Aedes ſacras, & colloqui
Cum Fratribus: qui ſeruiunt illic Deo
Procul remoti ab vrbibus.
Hæc vita felix, hæc beata ſeruitus:
Hac itur in cælum via.
Sic aſtra multi poſſident: multi tenent
Delubra multa in oppidis.
Sed intuens modo hanc, modo illam imaginem,
Nullam quietem dat ſibi:
Hærenſq; fixus ſæpe Chriſto: immobilis
Marpeſius ſtat vt Lapis.

Secum

Secum volutat quot dolores pertulit
Pro Adami & Euæ filijs.
Hoc onere tam graui, tot hisq; incommodis
Oppreſſus, in morbum incidit:
Qui cum medentis ſperneret Præſul manum,
Nec parceret laboribus
Iam conſuetis: grauior in dies magis
Fiebat: vnde viribus
Effætus & vigore: morti proximus
Defertur ad lares ſuos:
Vbi expiatus ſordibus, cibum capit
Animæ ſaluti debitum:
Manumq; tollens languidam, ſigno Crucis
Bene eſt precatus ciuibus:
His rebus actis ſpiritum reddit Deo:
Itq; ad piorum patriam.
Mæſtos reliquit filios, mæſtos patres,
Mæſtos viros, & coniuges.
Et ne loquamur multa: tota ciuitas
Iacet ſepulta in lacrymis.
Vno ore, & vna voce cuncti clamitant,
Quo tam citò à nobis abis?
Cælum reuiſe ſerius: diutius
Sis cum togata Gallia:
Peccata nec te noſtra, noſtræ ineptię
Tollant in auras ocyus:
Nec abſq; te cuſtode, per nemus ſinas
Errare ſic oues tuas:
Tuos ſed inter Inſubres dici velis
Princeps, paterq; patriæ.

Si nulla cauſa, nulla te ratio mouet,
Vt hic morere longius:
Hęc vna abunde Præſul eſt, vt conſulas
Noſtræ ſaluti publicæ:
Quam ſi ipſe nobis tu negas: tibi negas,
Qui noſter es, nos & tui.
O præſidium, decuſq; dulce ciuium,
O patriæ ſpes vnica,
O ſanguinis ſtirps inclyti certiſſima,
Cur aure ſurda hæc reſpuis?
Pro tot meritis in ſe tuis, pro tot ſuos
Beneficijs in pauperes,
Induta pulla veſte tota Ciuitas,
Madentibus fletu genis,
Crineſq; priſco more ſœda puluere,
Te flere nunquam deſinit.
Tibi, tuiſq; precibus aras, & focos
Commendat, & natos ſuos.
Pro pace, pro concordia, pro ciuium
Salute, numen obſecra
Magni Dei: qui cuncta quæ vult, efficit:
Soloq; nutu temperat
Terras inertes, vt liquentes æquoris
Campos, & alta ſydera.
O ſepties miſerabiles, & amplius
Nos centies, & millies:
Quis præſul alter poterit in mundo dari,
Qui Carolo non ſit minor?
Ouile rurſus impetent vrſi truces:
Rurſus rapient oues lupi?

Impune

Impune tigris dente diſcerpet gregem:
Impune ſæuiet Draco.
Alter ferarum domitor Hercules iacet
Carlus gemendus omnibus.
O qui tot annos pabulum ſcientiæ
Tuæ dediſti Inſubribus,
Ab arce cæli tanta deſpiciens mala,
Miſerare nos populum tuum.
Si peſtis iterum noſtra tecta inuaſerit,
Quid abſq; te nobis erit?
Natus parentem deſeret: natum parens:
Vir coniugem: coniux virum:
Frater ſororem fugiet, ac fratrem ſoror:
Et omnis hoſpes hoſpitem:
Multi inſepulti tabe polluta domo,
Paſcent famelicas canes.
Viri, & mulieres proximæ, & charæ magis
Erunt ſibi, quam cæteris:
Ne multa: ſana quiuis & proprios lares
Apris relinquet & lupis:
Ibitq; fata quo vocabunt: aut pedes
Ferent: Notuſue impulerit.
Quis inueniet remedia tam magnis malis?
Quis porriget lapſis manum?
Quis proteget? quis afferet miſeris opem?
Quis ab lue hac tuebitur?
Seruare nos tunc ipſa non poterit Salus;
Tua prece motus ni Deus,
Nos tot ruinis obrutos reſpexerit
Suo benigno lumine.

Peſtemq; ab vrbe in ſedis incertæ Scythas,
Aut efferos Pœnos agat.
Prô vota vana? ſpesq; inanes? Carolus
Iam iam futurus Pontifex,
De plebe vt vnus moritur, & ſecum trahit
Tot hæc caduca, & lubrica.
Sonuere mœſtum celſa tecta diuitum:
Triſte & tabernæ pauperum:
Ira Deorum Manium ſibi eripi
Exiſtimant Antiſtitem.
Fleuere caſſum lumine hoc ſpirabili
Magni nepotes Romuli,
Et purpurati præſules. Gregorius
Chriſti optimus Vicarius,
Noſterq; Summus Pontifex, ſuſpiria
Trahens ab imo pectore,
Rigauit ora fletibus, virum grauem,
Eccleſiæq; commodum,
Ac Tranſpadanis gentibus perutilem,
Se perdidiſſe dictitans.
Lugete ciues, flebilis nulli magis
Quam patriæ veſtræ occidit:
Nunc nunc queri, & lugere funus conuenit:
Iacet ſepultus Carolus:
Qui moribus mitiſſimis, vita integra,
Secutus Ambroſium ſuum,
Noſtrumq; Diuum: fecit in cælum ſibi
Iter, viamq;: nunc vbi
Suo labore digna ſumit præmia,
Cæleſtibuſq; gaudijs

Permiſtus vna Cælitum conſortio,
Gaudet potiri: & cernuus
Hic pro togata Gallia, pro ciuibus,
Pro Chriſtianis gentibus,
Non ethnicorum vana vatum numina
Orat, precatur, obſecrat:
Omnipotentem ſed Deum: qui filium
Demiſit ad terram ſuum:
Nos genus vt Euæ noxium redimeret
Suo pretioſo ſanguine:
Et liberatos Inferis, reponeret
Poſt in beatis ſedibus;
Eiectus vnde Lucifer cum cæteris
Olim eſt ſuperbis Angelis.
Ergo faceſſant hinc inanes næniæ,
Fletus, querelæ, & lacrymæ:
Et quotquot eſtis in togata Gallia,
Gaudete, & vſq; plaudite:
Quando patronum tam potentem maximi
Habetis in Domo Dei.

De matre Hebræa. Ex Anguillara.

DVM mortis in periclo
Pietas, fames, & ira
Dubitante mente pugnant:
Hebræa mater infit.
Miſerande nate paſce
Pectus tuæ parentis,
[illegible] vnde fluxit ad te,

Vterumq;

Vterumq; rurſus intra,
Qui te creauit ante:
Mihi illa redde membra,
Tibi quæ dedi miſella:
Naturæ vt omne rumpens
Ius: corpus hoc parentis
Sit filij ſepulchrum.

Ex Menandro.

EPICHARMVS eſſe vult Deos
Ventos, aquam, ignem, ſydera,
Terramq;: nummos arbitror
Eſſe vtiles nobis Deos.
Nam cum locaris in domo
Iſtos ſemel, tibi expete
Quod vis: habebis omnia,
Agros, domos, cubilia,
Teſtes, amicos, iudices,
Seruoſq;, vaſa argentea.
Impende tantum: ad omnia
Inſeruient tibi Dei.

LAVS DEO.